

## Z E L A N D I A.

ma pene rotunda aut ovali. Vrbes in ea sunt Middelburgum, Flissinga, Veria & Arnemuda.

Deflectentibus Flissinga ad Occasum, Cau-  
rumque, & Oceani littora Veriam versus le-  
gentibus, sub arenariis tumulis, occurunt mu-  
nicipia & oppidula muris carentia, & pagi  
complures insignes. In oppidis numerantur po-  
tissimum Soutelandia & Westcapella: quorum  
hoc hodieque habet jus civitatis, & Prætorem  
suum sive Sculterum. Vetus autem oppidum ei  
cognomine jam à centum quinquaginta annis  
mari est absorptum. Sequitur deinde Dombur-  
gum, olim item oppidum, & etiamnum oppidi  
privilegiis dotatum, quamvis incinctum: & jux-  
ta locus amoenissimus VVestborvia, quondam Ab-  
batis Middelburgensis prætorium. Inter Flissin-  
gam vero & Arnemudam, in promontorio Vul-  
turno obversanti, vulgo Rammekens, Carolus  
V, Imperator arcem Zeburgum construxit;  
qua hodieque extat, probe munita, & altissimo  
muro lateritio & vallo terreo septa.

Habet præterea hæc insula pagos aliquot in-  
signes: inter quos Zuitburgum, occidentale  
unum, alterum orientale, à situ agnominatum;  
medio fere inter Flissingam & Middelburgum  
itinere, loca valde amena. Et prior quidem pa-  
latio per amplio insignis est: ubi anno 1555, Ca-  
rolum V, Imperatorem, in Hispaniam postremo  
abiturum, venti aliquandiu remorati sunt. eo  
nunc hæres nobiliss. viri Philippi Marnixii una  
cum pagis potitur.

*Zuytbevel-*  
*landia.*

Post Walachriam ciscaldinarum secunda est  
Zuytbevelandia. Hæc spatiofissimo amoenissi-  
moque versus Flandriæ & Brabantiaæ limites  
tractu, veluti duobus cornibus, exporrigitur.  
Cœlo fruitur clementi ac salubri. sylvas habet  
aliquot locis; pomaria passim amplissima; arva  
tritici optimi feracissima. Vrbes olim habuit  
tres, Borsalam, Romerswalam & Goesa. Ex  
his Borsala cum universo pene territorio suo  
maris inundatione periit anno 1532. Romers-  
wala eadem inundatione à reliqua insula divulsa.  
Goesa in ea insulæ parte sita est qua Septen-  
triones adspicit, ad ostium unum Scaldis, quod  
Schenge vocatur: urbs non tam ampla, quam  
amena; per exiguo quidem murorum ambitu,  
at splendide atque affabre exstructa, & divitiis  
pollens, quum unica nunc sit in ea insula, atque  
luculentis fruatur privilegiis. In eadem insula est  
pagus Barlandia, & complures alii eximii pagi &  
toparchiæ: & præsertim amena illa & ampla  
Effsdica, Cruninga, item Breselinga, &c.

*Nordbeve-*  
*landia.*

Tertia insula Zelandia cis Scaldim ad Occa-  
sum spectans, est Nordbevelandia. In hac fuit  
urbs satis celebris Cortgeene, Veria fere opposita,  
quam anno 1413 muris cinctam volunt à  
Philippo Borsalo: pagi item permulti. Sed hæc  
insula tota horribili illa inundatione anni 1532  
periit. Nunc tamen paulatim restituitur. nam  
superioribus annis circiter duo millia jugerum  
aggeribus undique fuerunt cincta; ubi nunc

duo visuntur pagi, Colinsplata & Catzium, vulgo  
Catzhoeck.

Quarta & postrema harum insularum cis  
Scaldim est Wolferdyck, ( quasi dicas Wolfer-  
dyck, ) omnium minima, & vix tria millia-  
ria jam anno 1550 ambitu complexa. Solet au-  
tem, qua Walachriam & Arnemudam spectat,  
agrū possidere longe majorem; sed illum  
jamdudum fluetus absorbuere, cum oppidulo  
Pyto, (cujus turris diu ex aquis eminuit, & de-  
mum anno c 15 15 c xii concidit) & duobus  
pagis, Tarmuyo & Zabbinga. Idem & reliquæ  
Insulæ exitium hodieque minantur; quippe quæ  
utrimque à Scaldis æstuario, quod Schenge vo-  
cant; & altero canali, qui Zuydvlief dicitur,  
quotidie abedatur: unde vulgari proverbio di-  
citur: Hæc duo æstuaria inter se certare, & jam  
dudum minari se Wolfardi insulam devoratu-  
ra. Hæc olim à Ioanne Reygersbergio prodita.  
Eventus respondit; nam parum admodum hu-  
jus insulæ supereft.

Omnium ultra Scaldim insularum maxima  
& prima est Scaldia, vulgo Schouwen, à Scalde  
flumine præterlabente. Ambitus nunc habet,  
præter annexos Poldros, (ut vocant,) qui vul-  
go Dreychor, Zonnemaer, Noordgourven, &c. v i i  
aut v i i i milliar. Olim tamen major fuit, &  
tantum exiguo intervallo à Nordbevelandia  
distincta. Insula multis populosis pagis ac colo-  
niis distincta, prædiis quoque ruricis, & nobilium  
palatiis ornata, uti Haemstedio, Renissa,  
Moermonda, aliis. Vrbes in ea primariæ, Ziri-  
zea & Brouwershavia.

In eadem insula jacet Bomené, exiguus antea  
vicus, nunc ob opportunum loci situm terreo  
vallo cinctus; alioquin ignobilior, sed luculentus  
locus.

Secunda insula ultra Scaldim, & quidem Duvelan-  
dia. Scaldia jam descriptæ proxima, est Duvelan-  
dia, à columbarum frequentia sic dicta. cuius  
circuitus millia pass. i v complectitur. In hac  
tantum pagi sunt & vici, urbs nulla. Potior hu-  
jus insulæ pars, ea nempe, quæ vulgo dicitur de  
vier Bannen/ id est, quatuor fora seu Conventus  
juridici, quæque totidem pagos, Neokerckiam  
scilicet, Ouderkerckiam, Vianam, & Cappellam  
complectitur, emptionis jure & titulo ante an-  
nos aliquot cessit oppido Zirizæ; cuius Magi-  
stratus, interjecto inter utramque insulam ag-  
gere, Duvelandiam cum Scaldia sua conjunxit.

Tertia insula est Tola, vulgo Tolen, Braban-  
tiæ contermina, & exiguo freto ab illa divisa.  
Ambitus illius longe minor quam Scaldia, sed  
par ubertas atque amoenitas: ambitus autem il-  
lius crevit Martiniano aggere, (vulgo S. Martens  
dyck, ) Principis Auriaci hæredio illi connexo;  
cuius non minor est amoenitas juxta atque fer-  
tilitas. Oppidum illius Tola sive Tolenum, à  
veetigalibus Tollen Belgice, ut putant, di-  
ctum; vetustum admodum, & nuper adversus  
hosti-